



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

Quare boni cum malis puniantur. tit. 268

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

ctos, qui corpus Christi mysticū propugnabant, Eph. 4. Quieuit etiam per aliqua tempora Ecclesia, licet in amaritudine hæresum constituta.

Tertiò, Ultima nunc Ecclesiæ amaritudo est amarissima, quia filios enutriuit, & ipsi spernunt eam, Hoc est, homines prælatos Ecclesiæ, qui maculant Ecclesiam turpi vita, turpi quæstu & commercio, Esa. 1. Hæc est amarissima amaritudo, & miseradus incertus Ecclesiæ. Isti reformari nolunt, Isti adeò vulgares sunt, vt nemo eos vitare possit. Si exurgeret violentus inimicus Tyrannus, forsitan qui se absconderet ab eo, Si apertus inimicus aut hæreticus, mitteretur foràs, sicut palmes, & arefceret, Ioan. 15. Nunc vero quomodò eijciet Ecclesia falsos prælatos, Simoniacos, luxuriosos, auaros, &c. Omnes sunt amici in percipiendo temporalia, omnes inimici, quia negligunt officia Christi. Omnes pacifici & aduersarij, Omnes domestici & nulli pacifici, omnes proximi, sed omnes sua quærentes: Omnes ministri Christi, sed seruientes Antichristo: Honorem Christi in bonis Domini suscipiunt, sed Christum non honorant. Hic histrionicus habitus, aurum in frenis, in sellis & calcaribus: Indè comestationes, Cythara & Lyra, sed laudem Dei & curam domus Dei, cui rectè præesse debebant, nullus curat. Ergo ecclesia quæ fuit amara in nece martyrum, amarior in conflictu Hæreticorum, nunc amarissima est in malis moribus domesticorum suorum. Hæc Bernhardus.

*QUARE BONI CVM MALIS
puniantur.*

TITVLVS CCLXVIII.



AGnâ quæstio est, quando Deus est iustus, & rectum iudicium eius, Psal. ut. quare cum malis, qui meritò flagellantur, & boni puniantur, aut etiam talia à malis

à malis & cum malis patiantur? Respondeo: Quia nemo bonus, nisi solus Deus, Luc. 18. Ideò si aliqui sunt, qui secundùm aliquem modum dicuntur boni, attamen verè esse bonum & rectum, nemini competit nisi soli Deo. Ergò si qui boni sunt, qui tamen non sunt quales esse debent, sicut decalogus Exod. 20. exigit totum cor, totam animam, & cætera. quales omnes deberemus esse sicut decalogus exigit. Ideò vt perficiamur, & meliores efficiamur, ista mala præsentia cum malis sustinemus, sed per ista mala nos purgamur, examinamur, probamur, tanquàm aurum in fornace, 1. Pet. 1. Sapien. 3. At malis est infernus, qui hic incipit, & in perpetuum durabit, 1. Petr. 4. Iudicium à domo Dei incipit. Si autem à domo DE I, quid illis fiet? &c.

Secundò Responde: Cur granum tritici ventila- bro percutitur propter paleam? Aurum cur in for- nace resoluitur propter scoriã? Vinum cur in tor- culari premitur propter fæces? Sic, cur boni patiuntur propter malos? Non quidè hoc ideò fit, quod granũ, aurum, oleum, vinum, res sint in se malæ, sed quate- nus ampliùs purgentur, & gloriosiores sint. Ideò il- lis ad gloriã eadem pœna, punitio & aduersitas pro- ficat, quod paleæ, scorię, fæcibus ad reiectionem, Sic per flagella boni cum malis licèt ex æquo patiãtur, attamen diuersi sunt in fine: boni, vt efficiantur me- liores, obstinati, vt amplior sit illis pœna.

Tertiò, Idem est iudicium, quia mali cum bonis hic quoquè accipiunt bona, Matt. 5. Qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & cætera. & in hac vita illa æqualiter currunt, sed in fine erit diuersi- tas: Mali, quia etiã creaturę Dei sunt. Ideò tempora- lia bona hæc illis concessa sunt, sed postea ultra hæc boni æterna præmia & bona expectant, quæ auris nõ audiuit, Esa. 64. & 1. Corinthio. 2. Malis autè dice- tur: Recordare fili, quia recepisti bona in vita tua, Luc. 16.

PPP 3 Augu-

Augustinus: Si tibi videtur inconvēniens, quia cum malo eadem aduersitate plecteris, accipe stateram, & appende hīc amorem Dei, & hīc amorem mundi, & vide vtrum horum alterum preponderet, & reperies, quòd amor & sollicitudo huius mūdi, multū amorem Dei antecedit. Pondera hoc quòd Christus dicit Matth. 10. Si quis patrem aut matrem diligit plus quàm me, &c. non est me dignus, &c. Hic vide, an ne plus vxorem, filios, pecuniam diligas. Item diuitias & honores huius mundi, &c. Quis enim est, qui hīc voluntariè non præfert vxorē & filios suos Christo? Non prohibetur, ne diligas vxorem, Ephes. 5. & filios, sed eos non plus, supra vel æquè, sed sub Christo, diligere oportet. Abraham etiam dilexit filium suum Isaac, Genes. 22. sed plus Deum, ideo obrulit eum, &c. Sic hodiè omnis pater & mater, qui filiorum impedit voluptates, malos mores, blasphemias corrigit, & non permittit illis voluntatem, ille tale sacrificium, sicuti Abraham Deo, cum filio offert. Et quoniā non ex toto boni sumus, & regnat caro plus, quàm spiritus, ideo patimur cum malis: & sic patienter ferre debemus, sicut granum tritici, &c.

*MAIORVM SAPIENTIA
deridebitur.*

TITVLVS CCLXIX.



Rimò, B. Martyr Methodius Episcopus notat in vinculis sibi angelum reuelasse, quòd discipuli Antichristi omnem maiorem natu inhonorabunt, subinde deridebunt omnes, qui in sapientia fulgebant, & in rebus Reipub. magnificabatur, qui conticescent in silentio & in timore, non audētes arguere malos, aut dicere hoc vel illud, cur facis? Postremò, quòd non habebunt viscera misericordiae, neque super